

est. Quod 1. Eliaz exemplum attinet, durior ista allocutio fiebat ratione officii, arguebat enim Propheta DEI idololatriam, aliaque peccata Achabi. Nec 2. Paulus Apostolus regi maledixit, aut durius contra ipsum locutus est, quando Neronem leonem vocavit, cum ipse Deus per Salomonem *Prov. XXIX, 15* tyrannum rugientem leonem appellet. Quoad 3. Quando Esaias principes Israeliticos socios furum appellat, hoc ipso fungitur officio severi Concionatoris ex lege peccata superiorum arguentis, hoc verò aliis extra hoc officium constitutis non licet. Caveat tamen sibi minister Ecclesie 1. ne durioribus verbis adversus Magistratum proprias injurias vindicet. 2. Ne ob quem libet rumorem durius loquatur adversus Magistratum, sed ubi tyrannis & vita flagitiosam manifesta est. 3. ut sine contemptu officii Magistratus id fiat.

TITVLVS TERTIVS
DE CONJUGIO.

CASVS I.

Quisnam sit iudex competens causarum matrimonialium?

§. 1.

Pontificiis placuit causas matrimoniales unicè ad forum Ecclesiasticum trahere, ceà ex ipso Concil. Trid. patet, quasi soli Ecclesiastici, Politicis penitus exclusis, judicare possint de causis matrimonialibus. Videtur quidem Bellarm. aliquid etiam tribuere seculari potestati, mox tamen recurrit ad Ecclesiasticam potestatem, & aliquibus rationibus probat, ad forum Ecclesiasticum spectare causas matrimoniales. 1. cum matrimonium sit Sacramentum. 2. quod conjugium sit res conscientie, de qua Ecclesiasticis judicandum sit. 3. adducit praxin in Ecclesia observatam, cum Christus sententiam tulerit de divortio, *Matth. XIX. 4. seqq.*

§. 2. Ex altera parte sunt, qui causas matrimoniales ad solum Magistratum secularem spectare existimant, nec sine ratione: nam ad forum Ecclesiasticum spectant, quæ fidem & salutem respiciunt, vel ad disciplinam & administrationem Ecclesiasticam pertinent: at vero conjugium nec ad fidem, nec ad salutem, nec ad administrationem Ecclesiasticam spectat, non igitur apparet, quomodo ad